



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vita Et Doctrina Jesu Christi**

**Avancini, Niccolò**

**Coloniae Agrippinae, 1689**

Ad Rr. Patres, & Fratres Soc. Jesu Provinciae Austriæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59970](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59970)

AD RR. PATRES,  
& FRATRES SOC. JESU  
PROVINCIAE AUSTRIÆ.

**V**itam Jesu Christi, quam in  
singulas totius anni hebdo-  
madas, & dies ad meditan-  
dum digessi, vobis dedico, *RR. Patres,*  
*Fratresque charissimi.* Quidquid de me  
præsumptionis, aut arrogantia con-  
cipi posset, uno verbo diluo: ita ju-  
beor. Existimabant illi, quibus unâ  
curæ sumus, laborem hunc vestris  
usibus servitutum; volebantque vel  
labores vestros sublevatos, quibus,  
quandoque non sine tædio, medi-  
tandi materiam per varios effusi Au-  
ctores veluti panem quotidianum  
mendicabatis: vel vitam Jesu for-  
matam in vobis, quorum professio  
est contentiosa ejusdem imitatio.  
Placent diversis diversa: iis tamen,  
qui se Jesu socios non inani nomine  
profitentur, placere ea debent, quæ  
sunt Jesu Christi; ut assidua medita-  
tion e

tionem in ejus vitam, doctrinamq; in-  
tuentes, in eandem imaginem trans-  
formantur. Non damno eos, qui ali-  
unde mentalis orationis quasdam  
sibi materias congerunt, & quandoq;  
psalmum, aut alium Scripture locum  
expendunt; sed eos non probo, qui  
vitam doctrinamq; Jesu sterilem ar-  
bitrati, omninò rejiciunt. Eligunt  
enim sibi cisternas, quæ aquam siti-  
entis animæ suffecturam continere non  
possunt, & fontem aquæ vivæ dere-  
linquunt. Nam quamvis multa extra  
vitam Christi & doctrinam, quæ splen-  
dent, & intellectum pascunt, reperi-  
re possis; quod tamen voluntatem  
afficiat magis, & calidos excitet ani-  
morum motus, aptum magis ido-  
neumq; reperies nihil, quàm vitam,  
doctrinam, passionem & mortem  
Christi Jesu; dummodò fidei defe-  
ctu non labores. Hæc est vastissimus  
juxta, ac dulcissimus omnium sancta-  
rum affectionum oceanus, in quo  
anima felicissima navigatione ad  
omnem

omnem perfectionem progreditur; dum vel documenta legit, vel exempla inspicit; & simul avida quadam voluntate ad eorum amplexum, ad horum imitationem contendit. Atq; hinc sanctissimus Patriarcha noster Ignatius peroptabat ardentem, ut omnis suorum sequacium vita in meditatione *Vita & doctrina* Jesu Christi absumeretur. Cum igitur & tanti Parentis exemplo & instituto vestro contendatis *assimilari, & imitari Creatorem, ac Dominum nostrum JESUM Christum, eiusq; vestibus & insignibus indui*: confido non ingratum vobis futurum, quod in hunc finem, majorum adactus imperio, attentavi. Operæ verò id pretium ego postulo, ut, cum & ad intellectus lumina, & ad voluntatis affectus desinat quamplurima, ea vos suavissimo Spiritus sancti ductu suppleatis.

*Vester omnium in Christo servus infimus*

NICOLAUS AVANCINUS.

\* 3

AD